

ANIMADVERSIONES

AD

**SECUNDAM PARTEM CATALOGI PLANTARUM HERBARII
UNIVERSITATIS CHARKOWIENSIS.**

AUCTORE

N. TURCZANINOW.

APPENDIX.

Ad genus *Sphaeralceam* pertinet etiam *Malva Capensis* Linn. f. in coll. Eckloniana sub n. 289 et Zeyheriana sub 1970 distributa, ad *Modiolam Malva decumbens* W., cujus tantummodo specimina hortensia exstant in herbario.

Pavonia e Ceara Brasiliae, Gardn. n. 1457 cum definitione P. Mutisii H. B. et K. exacte congruit. *Sida acuta* Burm. specimen Canaranum, cum cl. Hohenacker sub n. 240 communicatum, sistit varietatem latifoliam hujus stirpis. Typica vero specimina servantur in coll. Philippinensi Cumingiana n. 451 et Javanica Zollingeriana secunda, signis aliquis incomprehensibilibus designata.

Sida Miqueliana (S. angustifolia Miq. stirp. Surin. sel. 102 non St. Hil.). Specimina Gilliesiana prope Rio Janeiro lecta n. 3660, exacte conveniunt cum definitione *Miqueliana*; stipulae setaceae petiolo parum breviores, racemus saepe abbreviatus in corymbum transit, articulus pedunculorum, propter pilos illum tegentes vix manifestus, carpella mutica. Species memorabilis floribus omnibus terminalibus, in axillis foliorum nullis.

Actinostigma (novum genus Büttneriacum lasioptalum). Calyx profunde 5 partitus, aestivatione valvata. Petala nulla. Stamina 10, filamentis filiformibus liberis, parum inaequalibus, antheris quadratis bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus, omnibus fertilibus. Ovaria 5, squamis stelligeris dense oblecta, approximata, libera, biovulata. Stylus filiformis e 5 arcte per totam longitudinem connatis, constans. Stigmata 5, radiatim patentia (unde nomen). Fructus ignotus. Fruticulus, ut videtur, humilis stellato-pilosus, foliis alternis petiolatis lanceolatis, obtusiusculis, integerrimis, supra glabriusculis, subtus flavido-tomentosis, pedunculis axillaribus binis ternisve petiolos adaequantibus, calycibusque extus lepidostellatis, stylo stamina aequante. Ovaria squamis stellatis dense vestita, primo aspectu connata videntur, sed de-rasis stellulis libera manifestantur. Genus *Seringea* Gay affine differt inflorescentia axillari nec oppositifolia, staminibus omnibus perfectis liberis ovariis biovulatis, stylis a basi ad apicem connatis et stigmatibus 5. Pro *S. lanceolata* accepiissem, nisi haec stamina alterna sterilia et inflorescentiam oppositifoliam habuisset. Species unica Act. lanceolatum Turcz. in Nova Hollandia a cl. Brogden lecta.

Hermannia Presliana. Fruticosa, erectiuscula, foliis sessilibus longe cuneiformibus, a basi plus quam ad me-

dium integerrimis, dein serrato-dentatis glabriusculis, ad apices ramorum paucis et diminutis, subnullisve; floribus racemosis secundis, calycibus inflatis. Ad Cap. bon. spei Zeyh. coll. n. 7294. *H. multiflorae* Jacq. affinis, sed distincta suadente cl. Presl; jam calycibus inflatis diversa, habitus omnino alius, si fides habenda speciminibus Ecklonianis n. 2. 114. 10, a cl. Drège in ejus Vergleichung, pro *H. multiflora* declaratis. Magis nostrae videtur affinis *H. polymorpha* E. et Z. sed in hac etiam calyces campanulati, non vero inflati, folia apice 3—5 dentata, superiora tantum integerrima.

Triumfetta (Lappula) Galeottiana. Tr. ramosissima, ramis ramulisque stellato-pubescentibus; foliis petiolatis, ovato-oblongis, acuminatis, indivisis, inaequaliter serratis, inferioribus laeviter cordatis, utrinque stellato-tomentosis, subtus gryseo-canescens, serraturis plerisque glandulosis; pedunculis axillaribus fasciculato-verticillatis, uni-vel paucifloris, aut in ramulis axillaribus interrupte spicatis, fructuum echinis glabriusculis hamatis. Mexico, Oaxaca, alt. 3000 ped. Galeotti n. 4153. Flores parvuli apetalii, calycibus tomentosis breviter cuspidatis.

Triumfetta (Barthramia) Botteriana. Tr. ramis glabriusculis apicem versus puberulis pilosisve; foliis petiolatis, ovato-oblongis, indivisis aut brevissime et obtuse subtrilobis, inaequaliter serratis, inferioribus subcordatis, supra viridibus, pilis simplicibus, subtus simplicibus, bifurcis vel stellatis vestitis; serraturis infimis tantum glandulosis; pedunculis axillaribus simplicibus vel ramosis, in apice ramorum racemosis; petalis calyce parum brevioribus; fructibus 4locularibus tetraspermis glabriusculis echinatis. Pedunculi saepe terni, laterales uniflori, medius mul-

tiflorus. Flores majusculi. Sepala linearia angusta, mucronulata. Petala lutea, sepalis latiora et breviora, linearispathulata. Fructuum echini uncinati, pilis brevissimis reversis scabri. Ad Tr. sepium Schlecht. e descriptione videtur accedere, at differt foliis angustioribus lobis foliorum, si adsunt, parum manifestis et obtusis atque fructu 4- nec 3-loculari Mexico, Orizaba, Botteri coll. n. 773.

Triumfetta (Barthramia) Orizaba. Tr. caule pilis longis subpatentibus, stellatisque brevibus paucioribus vestito; foliis alternis, longiuscule petiolatis, ovatis et rhombeis, inferioribus obsolete trilobis, superioribus ovato-lanceolatis indivisis, acuminatis, 3nerviis, supra viridibus, pilis plerumque simplicibus, subtus pallidioribus pilis 2-, 3- 4-partitis tectis; serratis; racemis terminalibus oppositifoliis brevibus paucifloris; petalis calyce parum brevioribus; stylis indivisis. Petioli foliorum inferiorum 2-folia 3-pollicares. Racemi terminales bini tripollicares, interrupte spicati, pedicellis inferioribus solitariis vel geminis unifloris, superioribus corymbulum 4—5 florum formantibus. Fructus, seu potius ovaria, statim post lapsum partium floralium, echinati. Mexico, Orizaba, Botteri n. 771.

Triumfetta (Barthramia) dichotoma. Tr. caule stellato-tomentoso; foliis alternis petiolatis, ovato-oblongis, acuminatis, 5nerviis, indivisis aut hinc inde lobulo brevissimo auctis, inaequaliter serratis, supra viridibus sparse simpliciter pilosis, subtus pallidioribus, praesertim ad nervos stelligeris; serraturis imis tantum obscure glandulosis; racemo terminali solitario oppositifolio dichotomo, pedicellis fasciculatis, fasciculis pluribus, nonnullis interdum bracteatis; petalis calyce parum brevioribus;

stylo indiviso. Fructus desiderantur. Inflorescentia in genere peculiaris. Racemus semipedalis. Bahia, Kegel n. 12453.

Triumfetta macrocalyx mea in Bull. de la Soc. des Nat. de Mosc. 1858. I. descripta, jam a cl. Seemann in bot. of the voy. of Herald, nomine *Tr. speciosae*, jure prioritatis gaudente salutata, vide Walp. ann. III. p. 330.

Brownlowiae sp. altera? Zoll. pl. jav. 2 n. 3641, specimen floriferum. Structura florum in multis cum definitione *Br. elatae* congruit, at folia integerrima habet. Ob defectum fructuum et speciem Roxburghianam mihi ignotam describere et nominare nolui. Stamina interiora ovarium cingentia et cum ejus angulis alternantia carnosula, glabra, obtusa, ovario dense tomentoso breviora.

Hemiphractum. Novum genus. Calyx 5partitus, aestivatione imbricativa, nempe laciniis 3 exterioribus et 2 interioribus. Petala 5 obovata, obtusa, basi nuda, calycem aequantia, disco carnosobrevi, margine multiglanduloso, cum staminibus inserta. Stamina numerosa (ad 30), filamentis brevissimis complanatis liberis, antheris lineari-oblongis, longe acuminatis, longitudinaliter a basi dehiscentibus. Ovarium conicum, septis incompletis, saepe nerviformibus sub 6loculare, ovulis in loculis solitariis ab apice parietum pendulis. Stylus filiformis, stigma simplex acutum. Fructus ignotus. Genus Tiliaceum seu forte Bixaceum. etiamsi ignoto fructu a descriptis diversissimum. Arbor seu frutex ramis, inflorescentia atque calycibus externe squamis lepidoto-stellatis obsessis, foliis alternis petiolatis, semipedalibus, ovato-ellipticis, basi obtusis, apice breviter et obtuse cuspidatis, multiveniis, glabris, glaucescentibus, pedunculis suboppositifoliis paniculatis, floribus pedicellatis. Ex India

orientali, loco non indicato, in coll. a cl. Hohenacker edita, sub n. 2182. — *H. oxyandrum*.

Ad sectionem *Sauraujae* apatelam praeter *S. obelantherram* meam e speciebus mihi notis pertinent. s. *pedunculata* Hook., *S. brachybotrys* Turcz., *S. Reinwardtiana* Kth., species nova e collectione Mexicana Botterii, cujus tantum fragmenta possideo et *S. Kegeliana* Schlecht. e hujus descriptione. Cum ista descriptione, specimen coll. Schlimianae e Nova Grenada, in prov. Rio Hacha, alt. 6000 ped. lectum n. 789, in omnibus quadrat, praeter petiolos utrinque complanatos et ad instar caulis pilosos. An sit diversa e comparatione plurimorum speciminum patebit.

Kowalewskia (Ternstroemiaceae *Sauraujeae*) novum genus. Calyx 5partitus. Petala 5 obovata, biloba vel lacera, toro brevi cum staminibus inserta. Stamina 10, filamentis liberis a basi latiore ad apicem attenuatis, antheris ovatis vel orbiculatis, medio affixis, poro circulari dehiscentibus. Ovarium liberum 3loculare, loculis multiovulatis, ovulis placentas incrassatas, angulo interno affixas, dense tegentibus. Stylus unicus terminalis, stigmatibus 3 obtusis terminatus. Genus Mexicanum, *Sauraujae* et *Draytoniae* Asa Gray affine, ab utraque diversissimum staminum numero definito, ab illa insuper stylis in unicum coalitis, ab hac staminibus liberis, nec ima basi monadelphis. Ovarii divisionem ternariam et stylos 3 etiam in *Saurauja rugosa* observavi. Habitus a *Sauraujis* satis distinctus, nam rami paniculae elongati spicaeformes, prope basin pedunculi communis approximati, quasi paniculam flabelliformem efficiunt. Dixi in honorem illustrissimi Eugraphi Kowalewski, ministri publicae instructionis, scientiarum naturalium cultoris et fautoris meritissimi. Species duae mihi innotuerunt, nempe:

Kowalewskia integerrima. K. foliis integerrimis, supra viridibus punctatis, subtus pallidioribus; pedicellis calycis longitudine. Mexico, Orizaba, Botteri n. 995. Arbor seu frutex. Caulis ramique glabriusculi, cinerei, teretes, striati, ad fortem lentem pube minutissima adpersi. Rami basi denudati, a medio circiter dense foliosi. Folia alterna, per paria approximata, petiolata, cuneato-obovata, uninervia, utrinque venis 9—10 percursa, supra viridia punctis sparsis albidis, obsolete stellatis tecta, subtus pallidiora, plus minus acuminata, basi longius attenuata, majora $4\frac{1}{2}$ poll. longa, plus quam 2 poll. lata, petioli 3—7 lineales compressi. Panicula in ramulis inferioribus (superiores steriles) terminalis oppositifolia, polystachya, bractea parva carnosula stipata. Spica centralis 9 poll. longa, laterales parum breviores. Flores alterni, pedicellis plerisque arcuatis cernui. Calyces albotomentosi. Petala calyce duplo longiora, $1\frac{1}{2}$ linealia-obovata, apice biloba vel lacera. Discus tenuissimus ovario angustior et ab illo occultatus. Ovarium albo-tomentosum sessile.

Kowalewskia serrulata. K. foliis serrulatis, supra viridibus punctatis, subtus rufescentibus stellato-tomentosis; pedicellis calyce duplo brevioribus. Arbor seu frutex, caule, ramis, petiolis, foliorum nervis venisque, atque inflorescentia pube brevi rufescente obtectis. Folia majora quam in praecedente, saepe semipedalia, basi brevius attenuata integerrima, dein remote et breviter serrulata, supra viridia, punctis rarioribus manifestius stelligeris conspersa. Rami simplices aequaliter foliosi. Panicula terminalis ejusdem ac in priore magnitudinis, folia paulo excedens. Flores pedicellis brevissimis incrassatis insidentes, multo confertiores minoresque, petalis nempe ca-

lycem parum superantibus. apice magis laceris. Discus crassior et ovario latior. Cum priore, absque schedula.

Alterum novum genus hujus ordinis e tribu Laplacearum dioicum octosepalum e coll. Bahiensi Kegeliana sub n. 12384 et 12428 nuper accepi, at specimina omnia mascula. Forsan adhuc novum genus in eadem collectione sub n. 12430 servatur, at propter specimen unicum incompletum describere nolui; affine *Tristylia*, sed habitus diversus, scilicet flores terminales, corymbosi. magni. *Tristylia* speciem sistit specimen insufficiens coll. Fendlerianae Panamensis n. 286.

Tropidopetalum. Novum genus Olacaceum Opilieum. Flores monoici, masculi innumeri, foeminei parcissimi bine inde in axillis ramulorum inflorescentiae. Mas: Calyx tripartitus. Petala 3—4, aestivatione imbricativa, oblonga, subconcava, intus nervo medio crasso longitudinaliter carinata, glaberrima. Stamina 3—4 cum petalis alterna, filamentis brevissimis, antheris bilocularibus, connectivo ultra loculos producto mucronulatis. Foemina: Calyx maris. Corolla nulla. Ovarium uniloculare uniovulatum, ovulo ex apice loculi pendulo. Arbor seu frutex glaber, foliis exstipulatis oppositis, petiolatis, lanceolatis vel oblongo-lanceolatis, basi parum angustatis, apice obtuse acuminatis, uninerviis, multiveniis, venis paginae superioris impressis, paniculis axillaribus ramosissimis, floribus pedicellatis parvis. Genus ex unico specimine descriptum, tamen meo sensu distinctissimum. An planta dioica et flores foeminei a me observati tantum accidentales? Java, Zoll. coll. 11 n. 3656. Tr. javanicum.

Heterapithmos. Novum genus Olacaceum Opilieum. Flores hermaphroditi, aestivatione imbricativa. Calyx 5sepalus. sepalis orbicularibus ciliatis, exteriori caeteris

minore. Petala tria, duplo majora, obovata. Stamina 5, tria sterilia petalis opposita, duo fertilia illis alterna, fertilium filamenta filiformia, prope basin ligulis duabus filiformibus aucta, antherarum loculis discretis, in apice connectivi cyathiformis affixis; antherae sterilium subsessiles, effoetae, id est filamentis brevissimis petalis arcte adnatis insidentes. Ovarium uniloculare uniovulatum, ovulo ex apice loculi pendulo. Stylus brevis acutus. Arbor seu frutex ramosus glaberrimus, foliis alternis oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, integerrimis, uninerviis multiveniis, paniculis axillaribus ramosis multifloris, floribus subsessilibus minutis. Nomen e verbis Graecis *ἐτερος* diversus et *ἄριθμος* numerus formatum, propter numerum diversum partium floralium. H. floribunda. Bahia, Kegel n. 12357.

Byrsonima sparsipilis Turcz. est, uti nuper convictum sum B. Clausseniana Adr. Juss., pro qua, ni fallor B. pachyphyllam Adr. Juss. accepi. Specimina Clausseniana herbarii nostri omnia fere absque numeris missa fuerunt.

Bunchosia discolor. B. foliis lanceolatis vel subellipticis, utrinque attenuatis, breviter acuminatis vel obtusiusculis, petiolo eglanduloso insidentibus, supra sparse subtus densissime pilosis albocanescentibus; racemis longitudine foliorum, pedicellis oppositis alternisque, basi et medio bibracteolatis; ovario piloso, stylis 3 basi tantummodo conjunctis, approximatis. Folia majora 4 pollicaria, 2 poll. lata. Mexico, Orizaba, Botteri n. 927. Altera species hujus collectionis n. 489 cum definitione B. acutifoliae Adr. Juss. convenit, tertia sine numero ad B. nitidam DC. forsitan pertinet. Utraque in statu fructifero, ultima habet fructum trilocularem, stylos 3 in unicum arcte concretos et stigmata 3 impressa, neque peltata.

Verosimiliter nova species, sed specimen *B. nitidae* DC. non vidi et nec in prodromo Candolleano, nec in monographia Jussieuiana dicitur, stirpem istam digynam esse. nostram separare non audeo.

Peixotoa paludosa Turcz. est *P. Jussieuiana* Mart.

Genus *Stenocalyx* a me constitutum, mihi ipso, donec fructus innotescit dubium videtur. Calycis phylla nonnisi angustie et longitudine notabilia et magnitudo bractearum flores involventium novum genus indicant at characteres hi vix sufficiunt. Loculi antherarum in staminibus exterioribus connectivo aequales, interiorum minore connectivo superati.

Serjania cirrhiflora Sieb. fl. Martin. suppl. secundum cl. Presl est *S. sinuata*, at e frustulo fructifero, quem vidi, *Urvilleae* species videtur, recedit foliis longe acuminatis a speciminibus meis Funkianis n. 798, prope porto Cabello in prov. Carabobo lectis, quae forte ad *Urv. Berterianam* DC. prodr. spectant, etiamsi ramuli, petioli nervique foliorum puberuli. Ab his discrepant specimine Mexicana Botteriana n. 1003. pubescentia copiosiore, etiam in parenchymate foliorum quoque manifesta. — *Serjania* ex Orizaba Mexici Botteri n. 576 et e Zacuapan prov. Vera Cruz Ghisbreght n. 197, cum brevi definitione (in DC. prodr. l. p. 603) cum *S. racemosa* Schum. congruit, iconem non vidi. Folia basi longe cuneata, ad medium integerrima. Fructus immaturi ad suturas puberuli, maturi glaberrimi.

Serjania cornigera. *S.* ramis angulatis, ramulis, petiolis nervisque foliorum rufo-pubescentibus; foliis biternatim sectis, segmentis primariis petiolulatis, angustissime alatis, foliolis basi cuneata sessilibus integerrimis, a medio grosse dentatis acutis, supra sparse puberulis, subtus

densius vestitis canescentibus; fructibus magnis; alis puberulis, loculis rufo-pilosis, dorso utrinque cornigeris. Species e hoc ultimo caractere distinctissima. Chagres, ad isthmum Panamensem, Fendler n. 45.

Paullinia Guatemalensis. P. ecirrhusa, foliis abrupte pinnatis trijugis, foliolis alternis aut suboppositis, brevissime petiolulatis aut limbo decurreute sessilibus, oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, remote denticulatis, reticulatis, supra ad costam puberulis, subtus densius pilosis cinerascens; racemis terminalibus ramosis folia non excedentibus; capsulis subrotundo-ovatis, junioribus fere reniformibus, obtusis, trilobis, tomentosis. Caulis teres sulcatus. Denticuli foliorum in novellis setula decidua terminati. Folia majora ad 9 poll. longa. Guatemala, Kegel n. 12771.

Paullinia polystachya. P. volubilis pubescens, foliis biterminatis: segmentis primariis petiolulatis, foliolis obovato-rhombeis acutis, basi longe cuneata sessilibus integerrimis, a medio grosse et inaequaliter serratis, supra sparse pilosis viridibus, subtus dense pilosis cinereis; racemis axillaribus folium superantibus; fructibus (junioribus) pubescentibus, pyriformibus, anguste tripartitis. Squamae petalorum duorum inferiorum formatae e lamina tenui ovata, marginibus involuta, apice in cornua duo obtusa desinente, infra cornua inflexa in appendicem, squamula brevior, margine barbatum, in tertio petalo appendix squamarum simplex, in quarto squama simplex biloba, omnino exappendiculata observatur. Ovarium breviter stipitatum, stipite tubo filamentorum plus minus adnato. Mexico, Oaxaca, alt. 3000—5000 ped. Galeotti n. 4309.

Novum genus e tribu Dodonaeacearum? Calyx 5-partitus, laciniis parum inaequalibus, aestivatione convolutiva.

Petala 4, intus squamulis duabus aucta. Stamina 6, disco tenui, ovarium ambiendi, inserta, filamentis filiformibus, demum longe exsertis, antheris ovatis, dorso affixis, bilocularibus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium sessile ellipsoideum. Stylus filiformis, ovario longior, stigmate punctiformi terminatus. Fructus (immaturi) subpyriformes, apice attenuati, lignosi, triloculares, parietibus crassis, loculis 2spermis? Ovaria pauca in specimine unico examinare mihi licuit et de numero ovulorum in loculis, propter fragilitatem ovulorum non omnino certus sum. In provincia Ocana, loco urbi vicino, alt. 3500 ped. Schlim n. 133. Flores e schedula albo-rubentes.

Cissus macrobotrys. C. caule tereti, ramulis, petiolis, nervis paginae inferioris foliorum atque inflorescentia arachnoideo-pubescentibus; foliis longe petiolatis, ovatis, profunde cordatis, acuminatis, 5nerviis, remote crenatis, crenis breviter mucronulatis; paniculis oppositifoliis, erectis, strictis, folium subaequantibus. Folia cum petiolo semipedalia, basi profunde et late excisa, in petiolo incurvo, fere dimidium folii attingente deflexa, supra glabriuscula aut pilis rarissimis et brevibus adspersa, subtus praesertim ad nervationem densius vestita. Panicula pedalis, pedunculo fere ad medium nudo, ramis pluribus inferioribus oppositis, quasi trichotoma. Pedicelli filiformes, flores parvos glabriusculos parum excedentes. Java aut Sumatra, Göring 11. n. 411.

Polyschisma. Novum genus Geraniaceum, Polyactii species petalis laciniatis E. et Z. Calyx 5partitus, lacinia suprema desinente in tubulum nectariferum tenuem secus pedunculum decurrentem et huic adnatum. Petala 5 multifido-laciniata. Stamina 7—9 basi monadelphae; quorum 2 vel 3 breviora ananthera, antheris orbiculatis bilocu-

laribus, longitudinaliter dehiscentibus. Ovaria 5. Styli et stigmata 5. Fructus non vidi. Genus *Pelargonio* Cav. propinquum, tamen distinctissimum forma petalorum, ultra medium 3-4-5 partitorum et laciniarum iterum semel vel bis partitarum, quae in aliis speciebus hujus vasti generis, integra vel emarginata sunt. Species tres hucusque notae, omnes scapigerae, floribus luteis purpureo-striatis, foliis cordato-ovatis inciso-pinnatifidis vel bipinnatifidis. Unicam tantum vidi, quae:

Polyschisma Anatymbicum. *Polyactidium Anatymbicum* E. et Z., *Pelargonium fimbriatum* E. Mey. P. foliis radicalibus late ovatis, basi cordatis, inciso-pinnatifidis, subtus albido-tomentosis, caulinis inferne paucis ad squamas lineari-oblongas reductis; umbella multiflora; tubo nectari fero pedunculo parum brevior. Scapi pilis patentibus mollibus vestiti.

Impatiens Lobbiana. l. glaberrima, caule subflexuoso maculato; foliis alternis, inferioribus longe, superioribus breviter petiolatis, oblongo-ovatis acuminatis, basi attenuatis, glandulisque duabus stipitatis setiformibus munitis, setaceo-crenulatis; pedunculis axillaribus solitariis unifloris; calcare recto apice attenuato, flores superante. Flores in sicco coerulei, verosimiliter in vivo rosei, magnitudine *Imp. coccineae*, petala inferiora profunde emarginata. Singapore. Th. Lobb. n. 184.

Impatiens eriantha. l. basi sublignescens ramosa, caule glabriusculo; foliis alternis, petiolatis lanceolatis, acuminatis, margine revolutis, remote crenatis, inter crenas glandulis stipitatis munitis, utrinque sparse pilosis; pedunculis axillaribus solitariis unifloris petiolo brevioribus; floribus calcar excedentibus; sepalis, petalis calcare-

que dense setosis. Flores in sicco atropurpurei parvi. In montibus Nilagiricis. Perrotet n. 180 et 181.

Impatiens salicifolia. I. tenuiter puberula, foliis alternis lineari-lanceolatis, basi in petiolum usque ad caulem decurrentibus, glandulisque pluribus sessilibus munitis, mucronato-serratis, supra glabris, subtus ad costam venasque puberulis; pedunculis axillaribus solitariis, rarius geminis unifloris, folio multoties brevioribus; calcaribus incurvis flore longioribus cum flore puberulis. Caulis herbaceus, videtur erectus, sed pars inferior in speciminibus nostris deficit. Folia longiuscula 4—4½ poll. longa, 4—6 lin. lata. Flores rosei, petalis inferioribus profunde emarginatis. Ad definitionem brevissimam *Imp. angustifoliae* Blume (Walp. rep. 1. p. 469 et 20.) valde accedit, sed calcare florem superante nec illo brevior jam distincta. Montes Nilagirici. Perrotet n. 185.

Impatiens lineata. I. annua, glabriuscula, subramosa, foliis alternis, inferioribus longe, superioribus breviter petiolatis, ad apicem caulis congestis, ovato-oblongis, acuminatis, basi attenuatis eglandulosis, obsolete crenulatis, inferne inter crenulas longe, superne breviter setigeris; pedunculis racemosis multifloris, pedicellis bracteis lineari-setaceis recurvis suffultis, floribus inferne lineis transversalibus pictis, calcar a medio arcuatum et attenuatum duplo excedentibus. Humilis vix 8 pollicaris. Caulis a decurrentia foliorum subalatus. Flores parvi albidii vel roseo-albidi. Capsulae utrinque acutae. Singapore. Th. Lobb. n. 391.

Impatiens Clavicornu. I. glabra acaulis, foliis radicalibus petiolatis ovatis, cordatis, obtusis, eglandulosis, glabris, late crenatis, crenis brevissime mucronulatis; pedunculis racemosis multifloris; floribus longe pedicellatis

bracteis ovatis stipatis; calcaribus ad apicem incrassatis clavatis, florem excedentibus. Nilagiri. Perrotet n. 185.

Impatiens debilis. l. glabra, a basi fere ramosissima trichotoma, flaccida; foliis oppositis petiolatis oblongo- vel lineari-lanceolatis, acuminatis, basi parum attenuatis, eglandulosis, integerrimis, vel hinc inde setaceo-serrulatis, glabriusculis vel puberulis, pedunculis axillaribus binis quaternisve, folio brevioribus, post anthesin deflexis; floribus calcar incurvum filiforme superantibus (parvis roseis). Nilagiri. Perrot. n. 188.

Oxalis Cearensis (Thamnoxy). O. caule fruticoso, superne ramoso puberulo; foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis ovato-rhomboideis, utrinque attenuatis acutiusculis, in utraque pagina dense pilosis, subtus canescentibus, lateralibus subsessilibus, terminali petiolulato; racemis bifidis multifloris, apice umbelliferis. Caules crassitie pennae corvinae, fistulosi, inferne ob folia cito cadentia nudi. Flores parvi, petalis lutescentibus vix sepala tenuiter puberula lineari-lanceolata trinervia superantibus. Styli longitudine staminum longiorum, filamentaque breviter at dense pubescentes. In provincia Ceara Brasiliae, Gardn. n. 1507.

Oxalis Goyazensis (Thamnoxy). O. caule fruticoso ramoso folioso, flavido-pubescente; foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis oblongo-ellipticis, basi rotundatis, apice obtusis emarginatis, utrinque dense pilosis, subtus cinereo-incanis, terminali breviter petiolulato; racemis aut umbellis axillaribus superne congestis, multifloris. Caules fere a basi ramis abbreviatis floriferis foliisque tecti. Flores parvi, tamen majores quam in praecedente, sepalis hirsutis. Petala parum longiora, coloris in sicco dubii, videntur lutea. Stamina longiuscula monadelphica. Filamen-

torum pars libera subulato-filiformis, pube rariore ut in praecedente vestita, utriusque seriei stylis longior. Ovarium stipitatum; stipite cum tubo stamineo concreto, loculis biovulatis. In provincia Goyaz Brasiliae, Gardner n. 3634.

Oxalis fasciculata (Thamnoxys). O. Caule suffruticoso pubescente ab ipsa basi in ramos elongatos diviso; foliis petiolatis trifoliolatis, foliolis ellipticis obtusis, utrinque pilosis, subtus pallidioribus, terminali majore longiuscule petiolulato; pedunculis axillaribus et terminalibus plurimis fasciculatis 3—5 floris. Petala lutea sepala oblongo-lanceolata, extus pilosa, fere duplo reperantia. Filamenta sublibera filiformia dense pubescentia, utriusque seriei stylos breves glabros superantia. Ovarium sessile. Mexico, prope Zacuapan, prov. Vera-Cruz, Ghisbreght n. 13. Species propter inflorescentiam peculiarem memorabilis.

Nomen *Oxalidis Abyssinicae* Turcz. in Bull. de la Soc. des Nat. de Mosc. 1858. 2 deleatur propter antiquiorem *O. Abyssinica* Hochst. (e sectione Biophytorum) et loco ejus substituatur *O. Adoënsis*.

Haplophyllum pilosum Sczegl. ined. Species H. propinquo Jaub. et Spach. secundum dispositionem Spachianam proxima, at caule simplici patentim piloso, foliis longe petiolatis, nempe petiolis limbum aequantibus atque floribus congestis abunde distincta. Prope Teheran Persiae legit cl. Dr. Jaenisch.

Symphypetalon J. Drum. Secundum descriptionem in multis convenit cum *Nematolepide* Turcz., jam anno 1852, in Bull. de la Soc. des Nat. de Mosc. descripto. Calyx revera pentaphyllus est nec quinquefidus uti erronee dixi, sed corolla speciminum nostrorum, etiamsi non nu-
 N. 1. 1859.

merosorum, tubulosa basi in petala non divisa. An altera species generis a me propositi?

Brunellia rugosa. B. inermis, ramis tetragonis, faciebus canaliculatis; foliis alternis abrupte pinnatis 4—5 jugis, foliolis oppositis petiolulatis, oblongis, integerrimis aut subrepandis, acuminatis, basi inaequalibus obtusis, supra glabris viridibus, venis impressis, subtus flavidis, praesertim in nervatione elevata puberulis et rugosis; panícula terminali ampla, longitudine foliorum; floribus subsessilibus pentameris, ovario (in floribus masculis) solitario, filamentisque basi rufo-villosis. Folia fere pedalia. Calycis tubus brevis linea impressa a divisionibus limbi quasi separatus. Filamenta exserta. Specimina foeminea non vidi. Bahía, Kegel n. 12322.

Zanthoxylum (Teclea) Ghisbreghtii. Z. inerme glabrum, foliis alternis simplicibus, breviter petiolatis, utrinque attenuatis, integerrimis, punctatis: punctis in junioribus pellucidis, costa media basi ad articulationem incrassatoglandulosa; racemis axillaribus brevibus simplicibus, petiolo tandem duplo longioribus; floribus longiuscule pedicellatis hermaphroditis 4—5meris; ovario unico uniovulato, stigmate sessili peltato. Mexico, Ghisbreght prope Zacuapan prov. Vera Cruz n. 122 et 225. Omnibus characteribus cum *Teclea nobili* Delile convenit, praeter calyces profundius divisos et unionem *Tecleae* cum *Zanthoxylo*, jam praeunte Endlichero suadet.

Zanthoxylum (Pohlana?) araliaceum. Z. inerme, ramis ramulisque tenuiter puberulis; foliis alternis longe petiolatis palmatim 3- 4—5 foliolatis, foliolis aequaliter et longiuscule petiolulatis, oblongo lanceolatis, utrinque attenuatis integerrimis aut vix crenulatis, in costa media et axillis venarum puberulis, pellucido-punctatis; pani-

culis axillaribus brevibus subtrichotomis densis, petiolo multoties brevioribus, calycibusque pubescentibus; floribus fasciculatis pedicellatis plerumque ternis, pentameris; ovariis 5 liberis a calyce in unicum coalitis, stylis 5 brevibus distinctis. Foliolorum dispositione, Araliaceas aemulante distinctissimum, sed forsan ob ovaria arcte in unicum concreta genus proprium. Mexico, Orizaba, Botteri n. 1008.

Gomphia lucidula. G. glaberrima, foliis sparsis petiolatis, anguste vel lineari-lanceolatis, basi attenuatis, apice longius acuminatis, utrinque nitidis concoloribus, junioribus flavicantibus, per totam fere longitudinem crenulatis; panicula terminali ramosa; pedicellis subresinosi flore longioribus; petalis linearibus calycem parum excedentibus, antheris subsessilibus calycis longitudine. Folia 3—4 poll. longa, 6—8 lin. lata, margine subundulata. Flores, quam in caeteris minores. G. salicifoliae St. Hil. et Tecl. e hujus definitione affinis, tamen serraturae in nostra non spinulosae et pedicelli glaberrimi. De forma petalorum nihil dicunt auctores. Bahia, Kegel n. 12402.

Catha spathulata. C. inermis glabra, foliis alternis petiolatis spathulatis, obtusis vel emarginatis crenulatis; racemis solitariis vel fasciculatis paucifloris, folio duplo vel triplo brevioribus; fructibus turbinatis obtuse trigonis; arillis membranaceis dimidium seminis includentibus. Foliis ad basin valde attenuatis, exacte spathulatis a C. membranacea Walp. (Wall. cat. n. 4306?) et racemis paucifloris sufficienter distincta. In India orientali pr. Mysore legit cl. Cleghorn.

Zinowiewia. Novum genus Celastraceum, (e tribu Elaeodendreorum). Calyx 5 partitus. Petala 5 laciniis calycinis alterna et longiora. Stamina 5 laciniis calycinis op-

posita, petalis subaequalia, filamentis subulato - filiformibus in apice attenuato antheras globosas biloculares, longitudinaliter dehiscentes dorso affixas gerentibus. Discus pentagonus crassus calycis fundum vestiens. Ovarium compressum ovatum acutum, stigmate sessili punctiformi terminatum, biloculare, ovulis in loculis geminis collateralibus a basi erectis. Fructus samaroideus compressus, ala oblonga obtusa uninervi, ipso longiore, postice cinctus, unilocularis, monospermus. Semen (immatura vidi) foliaceum lineare, utrinque obtusum, erectum, totam cavitatem implens.

Z. integerrima (Wimmeria? integerrima in Bull. de la Soc. des Nat. de Mosc. 1858. 2.). Genus potius Ptelidio quam Wimmeriae affine, at fructu uniloculari, numero partium quinario et patria longe diversum. Arbor seu frutex habitu et patria loco citato designatis. Dixi in honorem excell. Pauli Zinowiew, Universitatis Charcoviensis curatoris, amatoris et promotoris botanicae strenuissimi.

Pileostegia, alterum novum genus ex eodem tribu. Calyx 4 partitus, laciniis triangularibus acuminatis, acumine deciduo. Corollae petala 4 laciniis calycinis alterna et majora elliptica, basi lata insidentia. Stamina 4 calyci opposita, filamentis complanatis, antheris bilocularibus longitudinaliter dehiscentibus. Ovarium in disco sessile biloculare, carnosum, loculis biovulatis, ovulis collateralibus a basi erectis, rudimento arilli inferne cinctis. Stigma sessile pileiforme, indivisum in ovarium inflexum. Fructum non vidi, sed e consistentia ovarii verosimiliter carnosus, forsán drupaceus. Genus Elaeodendro, Mygindae et Oreophilae e numero partium affine, stigmatis forma peculiari distinctum. Nomen a forma stigmatis imposui. Arbor seu fructus glaberrimus, foliis alternis brevi-

ter petiolatis, oblongo-lanceolatis, obtuse acuminatis, cum mucronulo, basi obtusis, integerrimis, penniveniis, pedunculis axillaribus solitariis 1—3 floris petiolum excedentibus, folio multoties brevioribus, laciniis calycinis ciliatis, ovariis nigricantibus. P. Mexicana. Mexico, Orizaba, Botteri n. 998.

Ilex condensata. I. ramis glabris; foliis alternis in petiolum brevissimum attenuatis, acuminatis, a basi ad apicem obtuse serratis, glabris vel in basi costae paginae inferioris puberulis; pedunculis axillaribus et lateralibus fasciculatis, fasciculis multifloris, saepe vicinis inter se approximatis et congestis; calycinis laciniis ciliatis. In eadem collectione sub n. 994.

Specimen floriferum a coll. Bahiensi Kegeliana n. 12326, propter ovaria 5, omnia aequalia, videtur altera species Bernardinae, diversa a B. Fluminensi Planch. foliolis basi valde inaequalibus, praeter basin costae glaberrimis et petiolis hirtis.

Connarus Panamensis. C. glaberrimus ramis verrucosis, foliolis 5, lateralibus breviter, terminali longe petiolulato, oblongo-ellipticis, basi rotundatis, apice abrupte in acumen productis, venis utrinque 6—8. in pagina inferiore tantum prominulis; fructibus stipulatis inflatis, calyce petalisque persistentibus cinctis; petalis glaberrimis calycem sesquies superantibus. E definitione C. Pickeringii Asa Gray (Sandwicensi) in omnibus fere conformis, at petala, quae tantummodo in fructu persistentia vidi, glaberrima sunt et calycem neque duplo excedunt, stipes petalis aequalis nec longior. Fructus legumen Phacarum aut Colutearum aemulat, semen unicum, exalbuminosum, ratione ipsius parvum continet. Chagres in isthmo Panamensi. Fendler n. 128.